



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum requiratur iusta causa, vt Indulgentia constet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

obtentâ Indulgentiâ. Ratio est: quia quatenus pœnitentia est remedium futurorum, non videtur posse absolute iniungi à Sacerdote, nisi hoc remedium omnino sit necessarium ad futura vitanda; quod rarum est. Cuius vltior ratio est, quia potestas Clauium solum respicit id, quod est necessarium ad solutionem culpæ & pœnæ in Sacramento: quod insinuat Conciliū Trident. sess. 14. c. 8. Cū enim dixisset, Sacerdotes non solum debere spectare, vt satisfactio sit in remedium contra futura, sed etiam in vindictam præteritorum, subiicit: Nam Claves Sacerdotibus non ad soluendum duntaxat, sed etiam ad ligandum concessas Patres docent: vbi indicat potestatem ligandi spectare propriè vindictam præteritorum.

DVBIUM III.

Vtrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant?

Respondeo Affirmatiuè: Modò hæc quatuor adsint, scilicet, auctoritas in concedente, iusta causa concedendi, status gratiæ in obtinente, & opus prescriptū debito modo præstitum. Vide Antoninum 1. p. tit. 10. c. 3. quamuis paulò aliter explicet: & Durandum, dist. 20. qu. 4.

DVBIUM IV.

Quomodo intelligenda sint illa Indulgentiarū forma, quibus conceduntur centum, vel mille anni, aut decem millium annorū Indulgentiæ?

Respondeo: Intelligendæ sunt de annis, non qui essent in Purgatorio luēdi, sed qui in hac vitâ, si tantum se vita extenderet, iuxta Canones deberent in pœnitentia peragi; & consequenter in illis cōceditur remissio pœnæ Purgatorij, quæ tam diuturnæ pœnæ canonicæ respondeat: cum enim pœna Purgatorij sit cōtinua simul & acerbissima, non debet esse tam longa, quàm pœnitentia quæ per Canones constituitur. Vbi

Notandum est: Per Canones cuique peccato mortifero grauiori, vt adulterio, magno furto &c. indici pœnitentiam septem annorum, vt patet caus. 33. q. 2. Cap. Hoc ipsum. Grauiissimis autem peccatis, vt homicidio, parricidio &c. decem vel duodecim annorum, vel per totâ vitam. Quare cū multi sint, qui centū, vel mille peccata mortifera omnis generis commiserint, multorū millium pœnitentia iuxta Canones, si vita suppetere, illis iniungi deberet; quamuis nemo tam diu sit in Purgatorio cruciandus, eò quòd longinquitas acerbitate cōpensetur. Vnde non sunt ridiculæ illæ Indulgentiæ, quibus mille, vel plures anni conceduntur; cū multi sint totidem annorum debitores, si canonicam pœnitentiam spectemus.

DVBIUM V.

Vtrum sit aliquod discrimen inter Indulgentiâ plenam, pleniorē, plenissimam?

Hæc distinctio sæpè reperitur in concessionibus Indulgentiarum. Nauarrus notab. 9. putat esse distinctionem.

Sed probabilius est, quod ait Sotus; quidquid olim fuerit, saltem modò non esse discrimen; sed huiusmodi verborum exaggeratione interdū vt Pontifices, vt significant se ex parte suâ cōcedere quidquid possunt: vt videre est in Extrauag. An-

tiquorum, Bonifacij VIII. Idem sentit Antonius Corduba quæst. 9.

DVBIUM VI.

Vtrum sit discrimen inter Indulgentiam Plenariam, & Iubilæam?

Respondeo: Non esse discrimen in pœnarum relaxatione, sed solū in alijs quibusdā. Nam in Iubilæo conceduntur quædam priuilegia, quæ non solent in simplicibus plenarijs Indulgentijs concedi; nempe facultas deligendi Confessorem, cum potestate absoluedi à reseruatis, & dispensandi in votis & iuramentis.

CAPVT IV.

De causâ Indulgentiarum.

DVBIUM I.

Vtrum requiratur iusta causa, vt Indulgentia constet?

Respondeo: Indulgentiâ sine iusta causa concessam non valere ad tollendam omnem obligationem pœnarum coram Deo, etsi fortè possit liberare ab obligatione pœnæ iniunctæ. Est ferè communis.

Probatur Primò: Quia ab ijs quæ in foro Dei debentur, non potest Pontifex sine causa quenquā eximere, vt patet in votis, iuramentis, restitutione, & similibus: atqui pœna temporalis remanens post culpam condonatum, iure diuino debetur: ergo sine causa non potest condonari.

Secundò: Pontifex debitum pœnæ temporalis non potest tollere, nisi mediante applicatione satisfactionis Christi: sed huiusmodi satisfactionem sine causa nequit applicare: nō enim est Dominus thesauri Ecclesiastici, siue tēporalis siue spiritalis, sed dispensator; iuxta illud 1. ad Cor. 4. v. 1. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Dispensator autē nisi ex prescripto domini dispenset, irrita est dispensatio.

Tertiò: Idiplum satis insinuat Clemens VI. Extrauag. Vnigenitus, vbi dicit Pontificibus concessam esse potestatem Ecclesiasticum thesaurum proprijs ac rationabilibus causis salubriter dispensandi.

DVBIUM II.

Vtrum quæuis causa pia censeatur iusta ad quantumuis magnam Indulgentiam?

Quidam affirmant. Ita D. Thomas hic in Additionibus q. 25. a. 2. Durandus dist. 20. q. 4. Paludanus ibid. qu. 4. in principio. Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 1. & 2. multiq̄ue alij. Addunt tamen, peccare Papam, si ob leuissimam causam maximam Indulgentiam concedat; valere tamen Indulgentiam.

Sed verius est, non quamuis causam piam sufficere ad quantumuis magnam Indulgentiam: sed necessarium esse, vt causa sit Indulgentiæ proportionata, adeò vt si maior sit, quàm pro causæ magnitudine, non censeatur rata, nisi quoad eam partem, quæ causæ proportionem non superat. Est communis sententiâ hoc tempore, inquit Corduba quæst. 17. Tenet Bonauentura dist. 20. parte 2. quæst. vltima. Richardus eadem dist. circa quintum principale qu. 1. Augustinus de Ancona in Summa

Intelligēde sunt de pœnitentia iuxta Canones agēda.

Hæc forma non sunt ridiculæ.

30 Nauarrus existimat.

Meliùs Sotus negat.

32

33

Non valet dispensatio sine causa, adeoque nec Indulgentia.

33 Affirmat D. Thom.

Communis sententiâ negat.